



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Prætermissa Libri Tertij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38397

Pag. 470.

lin. 7. vulgum] adde; Nonnus Vuerembertus, monachus, monasterii S. Galli in Heluetiis, Cong. Luxouienfis, anno 870. ut auctor est Trittemius libro de luminariibus Germania; scripsit nonnulla opuscula, quorum memoriam non tenemus.

P R Æ T E R M I S S A

Libri Tertij.

Pag. 10.

lin. 13. deportantur] adde; In Germania, sancti Ermenoldi Abbatiss, & martyris, magnarum uirtutum uiri, qui ob pietatem impie occisus est.

lin. 30. recolo] adde; Ermenoldi; Ex eius uita quæ est apud Surium editionis 2. & Mosandrum Tomo 7. composita per quendam monachum Vadalrici Abbatis 15. iussu, anno 1281. huius Natalen hac die celebrari cognouimus. Compendium eiusdem adfert F. Zacharias Lippeloo Carthusianus, hac item die, Tom. 1. rerum gestarum Illustrissimorum Martyrum, &c. fuit S. Ermenoldus Sueuus, monachus primum S. Aurelii Hirsangie sub S. Gulielmo Abbate, ut refert etiam Trittemius in chron. Hirsangie, deinde factus abbas SS. Nazarij et Celsi apud Lauresheim; non multo post eam Abbatiam repudiavit. Accitus postmodum a S. Ottone Episcopo Bambergensi, & monacho, ut monasterio S. Georgij, in Brunfeningen, ab ipso tunc constructo, presiceretur, inuitus consensit, & mense Augusti ab Vadalrico Episcopo Patauienti consecratus est. Cum autem eius sanctitas, & mores eius, monachorum moribus non conuenirent, a quodam Aarone monacho baculo in capite percussus, ex uulnere interijt anno 1121. Abbatia 7.

Pag. 13.

lin. 19. hac die] adde: Cuius uitam ex legendario Trecenti, adfert Renatus Benedictus in uitis SS. Gallie, hac item die. Fuit natione Trecentis; monachus Luxouienfis sub Vualdeberto Abbate, tempore Clotharij Regis, & postmodum Abbas.

Pag. 20.

lin. 34. clari] adde: In Hispania monasterio S. Mariæ de Pampliga, depositio Sancti Bambæ Regis Visigothorum, miraculis clari.

Pag. 25.

Pag. 25.

lin. 2. nequiui) adde. Bambæ] alias *Vuambæ*, cuius *Natalem* ex *comie-
tura verborum Ioannis Mariane* qui lib. 6. c. 12. de reb. Hisp. *dicat*
dicat eum religionem intrasse anno 680. pridie idus Octobris in
*Dominica, ibidemque uixisse annos 7. & menses 3. hac die re-
positum. De reliquis eius actibus videto, lib. 4. c. 6. de Regibus*
monachis sanctis.

Pag. 33.

lin. 5. viri.) adde; Romæ, depositio Sancti Gregorii IIII. Papæ,
qui cum ex monacho Fossæ nouæ, ad summum Pontifica-
tum euectus fuisset, post multam super gregem sibi com-
missum, uigilantiam, sanctitate, & miraculis clarus mi-
grauit in cœlum.

lin. 22. suæ 70.) adde: Gregorii quarti) cuius natalis hac die notatur &
*Pamino in Epitome Pontificum Rom. & alijs de eadem re tra-
ctantibus: cui suffragantur & nonnulli alij de uitis Rom. Pont.
scriptores. Eius sanctitatem egregie prædicant Platina in eius
uita, & Bugianus colloquio primo, hist. monastice, & quidam
alij recentiorum. Reliqua de eodem uide libro 2. c. 1. de Pontifi-
cibus Monachis.*

Pag. 35.

lin. 35. Chorum) adde; In Britannia, sancti Gildæ Abbatis, & con-
fessoris.

Pag. 36.

lin. 4. monastici) adde. Gildæ.] *De quo Molanus in addit. ad Vnat-
dum, hac die. Is ille est Gildas qui uocatur Gildas quartus, flo-
ruisseque fertur anno 860. ac scripsisse Breuiarium, & alia li-
stica, ut tradit Bibliotheca Philosophorum. Alius namque Gil-
das, cognomento Badonicus & Sapiens; monachus Benchora-
sis, qui scripsit Deplorationem Britannie, & alia multa, obiit an-
no 580. paulo ante uel post. Agit de quodam alio S. Gilda ab-
scipulo S. Elruti Abbatis, noſter Trittemius de uir. ill. Ord. S.
Ben. lib. 3. c. 47. quem claruisse refert anno 600. & quod excurrit*

Pag. 43.

lin. 21. Vale] adde; Anno D. M. D. I. X. Feb. Aetat. suæ LI. sacre mi-
litiæ XVII.

Pag. 51.

lin. 14. recolitur] adde; Andegauis, canonizatio sancti Licinii Epi-
scopi venerabilis sanctitatis, & miræ parsimonie
Pug.

pag. 52.

lin. 18. c. 3 5.) adde; Licinii;] De quo *Vsuardus, Martyrol. Rom. cum Baronio, Maurolycus, & Galefinus sub Lucinij nomine, hac die. Vitam eius a M. Francisco Grandin, Pastore Andegauensi, ex legendariis & monumentis antiquis Andegauensis Ecclesie conscriptam, adfert Renatus Benedictus in vitis SS. Gallie hac die: quae licet eius nomini sit dedicata, non tamen hac die obiit, sed ipsis Calendis Nouembris, quibus cum commode de eo fieri non possit, propter officium omnium Sanctorum, ad hanc diem festiuitas eius translata est, quando anno 664. a Vitaliano Papa in numerum Sanctorum, relatus est, ut ex eius uita didicimus. Fuit ex maiore domus Regis Franciae monachus Cincillacensis, deinde Episcopus Andegauensis 14. seditque annos 45. menses 4. & dies 12. mortuus anno 631. primo die Nouembris. Et hac ratione redarguitur hic Baronius, qui alterius Licinij Andegauensis, qui fuit Episcopus Turonensis, equiuocatione deceptus, putauit hunc nostrum non Andegauis, sed Turonis praefuisse, cum tamen noster non fuerit natione Andegauensis, sed Burgundus, uti in uita eius dicitur, & nos diximus ad Licinium in Episcopis Andegauensibus.*

Pag. 55.

lin. 38. Abbatis] adde; In Anglia, depositio Sancti Vulfrici, ex monacho Eremitae, magnarum uirtutum uiri.

Pag. 56.

lin. 22. agemus] adde; Vulfrici.) Cuius natalem hac die annotat *Matthaeus Paris in historia maiori, ad annum 1154. eiusque uitam copiosissime recitat. Res item eius gestas scribit Matthaeus Vuest. in florib. hist. ad eundem an. fuit natione Anglus monachus & Eremita de Heselberga, obiitque anno praefato, conuersionis suae 29.*

Pag. 146.

lin. 1. hac item die) adde: quarum uitas ex quodam legendario antiquo *Remensi excerptas, adfert hac die Renatus Benedictus in vitis SS. Gallie. Fuit autem Bona, Sigeberti Regis Mediomatricum filia, sororque Sancti Baudrici, uitamque monasticam professsa est in monasterio S. Petri Remis, quod frater eius Baudricus construxerat: in quo postmodum ob uitaemeritum integerrime Abbatissa praefecta, Dodam neptem suam in Abbatiae regimine habuit moderatricem.*

Pag. 151.

Pag. 151.

lin. 13. in pace) adde: Trevis in Campania, Inuentio & translatio corporis Sanctæ Hoildæ virginis, & sanctimonialis, uirtutibus clara.

lin. 39. 1096.] adde; Inuentio &c.] Adfertur eius uita hac die a Renato Benedicto, in uitis SS. Gallie, per M. Franciscum Arnoldum Canonicum Trecentem S. Stephani, in cuius ecclesia corpus Inuus sanctæ requiescit, composita, ex qua cognouimus eandem uitam monasticam Trevis duxisse, consecratamque ac sacro uelamine relictam fuisse ab Alpino eiusdem ciuitatis Episcopo, anno Domini circiter 570. paulo ante, uel post.

Pag. 152.

lin. 33. sociorum eius) adde; Remis in Campania, passio Sanctæ Bertæ Abbatissæ, quæ a nepotibus suis occisa, multis miraculis clauit; cuius corpus post centum ab eius morte annis repertum fuit, ita sanum, & integrum ac si eadem hora trucidatum fuisset.

Pag. 153.

lin. 6. egimus) adde; ut edocui sumus ex eius uita, quæ adfertur hodie à Surio Tomo 3. impressionis 2. & Mosandro Tomo 7. ac Renato Benedicto in uitis SS. Gallie, quæ quidem apud hunc auctorem est diffusissima, in eaque de morbo S. Marculphi, quem sanare solet Rex Franciæ pro tempore, agitur.

Pag. 155.

lin. 12. Virginibus) adde; Bertæ Abb.) Cuius martyrium anno Domini 661. perpetratum, notatur hac die a Renato Benedicto in uitis SS. Gallie, qui eius uitam, miracula, & translationem, ut erant in quodam libro Remis excuso adfert. Fuit natione Gallæ nobilibus parentibus progenita, uxorque primum S. Gumberti uiri potentissimi, cuius permisso monasterium S. Mariæ Virginis de Auenay, quod ipsi construxerant, ingressa, multis uirginibus sibi coadunatis, eis in matrem presecta est, & tandem impie à Nepotibus suis occisa martyrii palmam promeruit. Eius corpus, cum mariti sui S. Gumberti reliquijs, iacet in monasterio S. Petri Remis. Agit de eadem Sigebertus in chronico: & nos in Appendice nostra, cum tunc diem mortis eius ignoraremus.

Pag. 157.

lin. 21. 1313.) adde. Metis, in monasterio sancti Petri, depositio sanctæ

sanctæ Vualdradæ Virginis & Abbatissæ, miraculis claræ.
 lin. 19. extat] adde Vualdradæ. Cuius natalem, hac die annotat Renatus Benedictus, qui in vitis SS. Gallie eius vitam ex legendarijs MSS. Metensibus adfert. Fuit nobilissimo sanguine orta, monialis & Abbatissa monasterij S. Petri in civitate Metensi, ab Eleutherio propinquo exstructi, tempore Theoderici & Theoberti Regum Franciæ.

Pag. 158.

lin. 38. clari] adde; In Germania, in monasterio Patauensi. Beatæ Gifalæ, Reginae & Abbatissæ, quæ & sponsum suum S. Stephanum Hungariæ Regem ad Christi fidem adduxit, & post eius mortem sanctimoniæ & Abbatissæ, effecta, bonis & sanctis operibus plena in Domino obdormiuit.

Pag. 159.

lin. 13. sui 33.] adde Gifalæ, siue Gille, cuius sacer obitus, cum monachismo notatur hac die in eius epitaphio quod adduximus nos lib. 4. c. 14. de Reginis sanctis. Sanctitatem eius explicant Fasciculus temporum, Paulus Langius in chron. alijsque infiniti ad quos lectorem remittimus.

Pag. 174.

lin. 34. uiri] adde; Eodem die in Gallia, sancti Godonis Abbatis, uiri admirandæ sanctitatis, & magnarum uirtutum.

Pag. 175.

lin. 18. anno 686.] adde; Guinizonis Abb. Eius natalem hac die annotat Petrus Diaconus in eius uita, quæ est Casini MSS. de quo idem agit in libro de Sanctis Montis Casini c. 29. & Leo Ostiensis in chron. Casin. lib. 3. c. 47. Obijt circa annum Domini 1076.

lin. 23. nequeo] adde; Godonis Abb. Cuius uita ex historijs Vuassenburgii, & alijs legendarijs MSS. excerpta, adfertur hac die a Renato Benedicto in vitis SS. Gallie. Agunt de eodem Vincentius in speculo, & Antoninus in sum. histor. Tomo 2. tit. 23. Nonnulla item eius gesta recensentur in uita S. Vuandregisli Abbatis Fontanella, cuius hic fuit discipulus in eodem uocabio; deinde Abbas factus in Comitatu Oye, ibidem miraculis clarus obiit. Floruit anno 670. & quod excurrit.

Pag. 192.

lin. 8. Patrios] adde. Eius autem uita ex historijs Vuassenburgii adfertur hac item die a Renato Benedicto in vitis SS. Gallie.

HH h h Pag. —

Pag. 194.

lin. 26. Taruisii) adde; in Ecclesia prefata cum hoc Epitaphio. *Beati Parisii monachi Ordinis Camaldulensis, qui LXXX. annis, hoc monasterium optime rexit, vixit q. annis C X V I. atque anno salutis MCCCLXVII. die Iuni XI. spiravit in Domino; sanctissimum ac clarum intraco- lis corpus, hac in Arca quiescit.*

Pag. 196.

lin. III. migrant) adde; In Britannia minori Sancti Maini Abbatis, qui multos a paganismo ad fidem conuertit, & sanctitate clarus migravit ad Dominum.

lin. 31. Sororibus) adde: Maini.) Vocatur hic à Britannia populi etiam Conaidus, cuius uita, & miracula que operatus est, in ex- legendaris MSS. & archiuus collegit Petrus V'iel S. Theologia Doctor, adfert hac die Renatus Benedictus in uiris SS. Gallis. Fuit Mainus natione Brito, patre Gerasceno, qui amore Chris- ti, & Euangelij, ex patria secedens una cum S. Sansone pater Meneuie Archiepiscopo, ac postmodum Dolensi, qui ei lan- guine coniunctus erat, ad Armoricos Britannos accessit anno 566. ubi fauore cuiusdam Prinati, eiusque auxilio monasterium ex- adificato, in loco qui dicebatur Dolus, unde monasterio nomen, in eodem sub cura predicti Sansonis Abbatis, uitam monas- ticam egit. Deinde factus est Abbas monasterij S. Ioannis Bap- tiste, quod nunc ab eius nomine S. Mainus uocatur. Conuol- uo etiam cenobio in ciuitate Andegauensi in loco Monop- lium dicto, eidem quoque præsidere coactus est. Tandem post multos in religione peractos annos, miraculis clarus migravit ad Dominum hac die, post annum 590. in monasterio suo pro- mo S. Ioannis Baptiste, in quo, & sepultus est. Belforestius in descriptione Armorica, uti notauimus ad Episcopos Narbonne- ses, eiusdem ciuitatis Episcopum eum agnoscit, in eius uita uita nihil simile legitur.

Pag. 198.

lin. 6. domino.) adde: Remis in Campania, Passio Sancti Fulcenti Episcopi ciuitatis eiusdem, & Martyris, qui pro libertate ecclesiasticâ defensione est interemptus. Eodem die in Bri- tannia minori, Sancti Heruei Abbatis, & Eremitæ, miracu- lis clari. Ratisbonæ, in monasterio S. Emerani, deponit B. Ramuoldi Abbatis, miraculis, & prophetia spiritu clarus.

lin. 27. sepultus est) adde: Fulconis) De quo Molanus in addit. ad
Vsuardum, hac die: quod ipsum confirmant Iacobus *Neyerus*, lib. 2. *annal. Fland. ad an. 900.* Demochares de *sacris. Mis-*
se, tomo 2. cap. 14. & Henricus Costerus in *Arbore Bertinica*.
 Agit de eiusdem morte Regino in *chron. lib. 2.* dissentit tamen ab
 alijs de anno mortis, quem 903. assignat. Fuit ex monacho
 S. Bertini, Archiepiscopus Remensis 33.

Heruei] Cuius vitam ex MS. adfert hac die Rhenatus Benedictus
 in vitis SS. Gallie. Fuit Monachus in Britannia minori, ma-
 gistro usus S. Harchiano monasterij S. Maini monacho; postmo-
 dum Abbas, vit. eq. deinde Eremitice cultor. Synchronos etiam
 fuit S. Maini Abbatis, anno D. 580.

Ramuoldi) Notatur huius depositio hac die à Viguleo Hund in Me-
 tropoli Salisburgensi, confirmaturq. eius Epitaphio, quod in mo-
 nasterio S. Emerani sic legitur:

Signis clarescit pius hic Ramuoldus humatus,
 Cælo fulgescit cælestibus associatus.

Obijt Anno M. I. XV. Calendas Iulij.

Eius vita MS. extat in eodem canobio. Fuit Abbas eius cano-
 bij octauus, & presuit an. 26. mensib. 5. diebus 17. vocatus ad il-
 lam Abbatiam ex Monasterio Treuirensi à S. Vuolfgango, cu-
 ius ipse erat Patruelis.

Pag. 200.

lin. 29. terra] adde: Andegauis, in monasterio S. Ioannis Bapti-
 stæ, translatio S. Licinij, eiusdem ciuitatis Episcopi.

Pag. 201.
 lin. 7. Imperatoris) adde: Translatio Sancti Licinij) Notatur
 hæc hac die in eius vita, quæ est apud Renatum Benedictum,
 in vitis Sanctorum Gallie. Facta autem fertur anno Domi-
 ni 1169.

lin. 16. clara) adde: In monasterio S. Maini in Britannia minori
 depositio S. Aufoli monachi, qui septimo die post Abbatem
 suum sanctum Mainum mortuus est.

lin. 30. agemus.) adde: Aufoli) De cuius morte miraculosa hac die fa-
 cta, agitur in vita S. Maini Abbatis circa finem: quæ est in
 vitis SS. Gallie, apud Renatum Benedictum.

Pag. 202.

lin. 14. migravit) adde: In Britannia S. Goueni Leonensis Episco-
 pi, & Confessoris, admiranda facta ciuitatis vitæ.

Pag. 203.

lin. 12. Germania) adde: Golueni) cuius vitam ex MS. Latinis exemplaribus adfert hac die Renatus Benedictus in vitis SS. Gallie. Hic in Britannia maiori natus, post multos in monastica perfectione exactos annos in Britannia minori, ad eremi rigorem accessit; in quo ita conuersatus est, vt prodentibus miraculis, in populorum consensu post S. Paulum Leonensis sit. acclamatus Episcopus, anno Domini circiter 600. Agit de eodem Genadius de re Gallica lib. 2. perioche 6.

Pag. 227.

lin. 19. admirabilis) adde: In Anglia S. Ioannis Abbatis, S. Albani, doctrina, & sanctitate clari.

lin. 33. nonnulla) adde Ioannis) Notatur eius natalis hac die à Mattheo Paris Albanensi monacho, qui de eo, eiusq; virtutibus agit in historia maiori ad annum 1214. quo mortuus refertur.

Pag. 229.

lin. 19. coronatur) adde: Metis, Sanctæ Clodesuidæ Abbatissæ, quæ sponsum suum fugiens, velamen capitis per Angelum à Deo accepit, & illa se, & sua omnia Christo sponso suo delegans, in virginitate perpetua ipsi in monasterio Metensium seruiuit, multarum filiarum mater effecta.

Pag. 230.

lin. 2. secunda) adde: Clodesuidæ) De eadem egeramus in appendice nostra natalem eius tunc ignorantes, quem cognouimus ex eius vita, quæ adfertur hac die ex MSS. Ecclesie Metensis à Renato Benedicto in vitis SS. Gallie. Exiit illius cænobiij Abbatissa, quod nunc Metis ab eius nomine monasterium S. Clodesuidæ vocatur, obiitq; post annum 615. ut notat Mattheus Vueslm. qui de ea agit ad illum annum, in Ecclesia S. Petri, quæ nunc est cænobium S. Arnulphi, primum sepulta; ex qua post annum 25. relata est ad suum monasterium, ita integra, ac sicut die mortua fuisset.

Pag. 245.

lin. 33. clari) adde: Anagninæ, S. Petri Episcopi, qui monastica primum obseruantia, deinde pastorali uigilantia clarus, quiescit in Domino.

lin. 39. anno 933.) adde: Petri) De quo Mart. Rom. cum Baronio, & tabule eiusdem Ecclesie, hac die. Quando floruerit, aut cuius monasterij monachus fuerit, adhuc me latet.

Pag.

Pag. 264.

lin. 17. in Gallias) adde: Patauij in Germania, depositio Beati Altmanni Episcopi, mira simplicitatis, & frugalitatis uiri, miraculis clari.

lin. 29. prosequutū) adde: Altmanni) Cuius mortem miraculis etiam attestatam reponit hac die Viguleus Hund in Metropoli Salisburgensi. De monachatu in monasterio S. Ioannis Magdeburgensi, agit Trittemius de uir. ill. ord. S. Ben. lib. 4. cap. 242. Fuit Episcopus Patauensis 35. creatus anno 1065. presuit annis 26. & post multas grummas, & exilia, quæ narrantur in Metropoli, obiit anno 1092. in oppido Austriaco Zeyfelmaur, & sepultus est in Crypta Gotuicensis cœnobii à se fundati, ubi & miraculis claret.

Pag. 283.

lin. 7. foris) adde: admirandæ sanctitatis & doctrinæ uiri.

lin. 10. latent) adde: ridi eas postmodum apud Renatum Benedictum in uitis SS. Gallie, qui uitam eius ex MSS. exemplaribus Cœnomanicæ Ecclesiæ bis adducit: dissentit tamen de mortis die, cum non hac, sed die 16. huius mensis mortuum uelit. In utraque uocatur monachus, Eremita, & Abbas monasterij ad Siluam Gabronicam, que non longe erat à ciuitate Cœnomanensi: & in prima legitur etiam factus Episcopus titularis ad gentium conuersionem, quippe qui doctrinæ uerbo non modicum pollebat. Floruit temporibus Childeberti Regis, an. 560. & quod excurrit.

Pag. 295.

lin. 36. Cisterciensis) adde: Lauduni, ex Metis, Translatio Sancti Clodulphi Episcopi, & Confessoris.

pag. 296.

lin. 20. Maij) adde: Translatio S. Clodulphi) Facta narratur hac die in eius uita, quæ est apud Renatū Bened. in uitis SS. Gallie, an. 959.

Pag. 313.

lin. 39. quieuerunt) adde: In Gallia, Sancti Arnulphi Vapincensis Episcopi, & Confessoris, admirandæ sanctitatis uiri,

pag. 314.

lin. 36. latent) adde: Arnulphi) Adfertur eius uita hac die, ex MSS. à Renato Benedicto in uitis SS. Gallie, in qua eius narrantur miracula. Fuit primum monachus cœnobij S. Trinitatis Vindoniensis, & exinde ob præclaras animi dotes, ab Alexandro Pandoniensis, & exinde ob præclaras animi dotes, ab Alexandro Pandoniensis, factus est Vapincensis Episcopus. pa 11. anno Dom. circiter 1070. factus est Vapincensis Episcopus.

HHhh 3 Pag.

pag. 339.

lin. 28. nominatur) adde: Obiit anno 1152. etatis sue 71. & assensu
te religionis 55.

pag. 341.

lin. 25. venerabili) adde: Ratisbonæ, depositio Sanctæ Aureliæ Vir-
ginis sanctimonialis reclusæ, quæ cum esset Regis Franciæ
filia, marito contempto, ad Sanctum Vuolfgangum se rece-
pit, ab eoq; in quodam monasterio, quod nunc Sancti An-
drææ sacellum uocatur, non longè à mœnibus Ratisbonæ
ciuitatis, uelata & inclusa, post quinquagesimum secundum
pœnitentiæ annum, gloriosa hac die migravit ad Dominum.

pag. 342.

lin. 29. Decembris) adde: Aureliæ) De qua Martyr. Rom. cum Be-
ronio, Molanus, & Galefinus hac die, qui hanc eius festi-
tatem Argentiæ recolit scribunt: nos ex monumentis monasterii
S. Emerani Ratisbonæ, in quo hæc sacra virgo sepulta iacet, cum
hoc Epitaphio,*Hic pia florescit Aurelia virgo sepulta,**Quæ pœnas nescit, cœli dulcedine fulta.**item & ex Wigleio Hund, qui eius uitam paucis recitat in Me-
tropoli Salisburgensi, Ratisbonæ, reposuimus: ibi namq; eius so-
lemnitas hac die agitur. Dicitur fuisse filia Regis, & mortua
anno 1027. conuersionis 52. pater tamen eius non exprimitur,
quem ex temporum ratione, arbitramur fuisse Lotbarium Re-
gem, Ludouici Transmarini filium.*

pag. 343.

lin. 2. Amati) adde: Andegauis, Sancti Magnobodi Episcopi, qui ex
monasterij probatione diuturna ad Episcopatum euectus,
populis suis in omni sanctitate præfuit, & miraculis clarus
quieuit in pace.

Pag. 344.

lin. 10. anno 1079.) adde: Magnobodi) Eius vita ex annali-
bus Andegauensibus librisq; MSS. adfertur hac die, copiosissi-
ma miraculis, à Renato Benedicto, in uitis SS. Gallie, ex qua di-
dicimus monachum primum eum fuisse cœnobii Cincillanensis,
siue Colonetensis; deinde Abbatem; & postremò Andegauen-
sem Episcopum XV. obiisseq; post annum Domini 650.

Pag. 357.

lin. 8. Monasterium) adde: Andegauis in Gallia, depositio Sancti
Liciij

Licinij Episcopi, & Confessoris, insignis, pietatis, & sanctitatis uiri .

Pag. 358.

lin. 23. Abbate) adde : Licinij) *Licet hac die mortuus referatur in eius uita, quæ est apud Renatum Benedictum in uiris SS. Gallie: quia tamen eius festiuitas ob officium Omnium Sanctorum commode celebrari nequit, relata est ad diem 13. Februarii, quando in album Sanctorum annumeratus est a Vitaliano Papa, anno 664. qui erat ab eius morte 33.*

lin. 32. celebris) adde : In Gallia, Sancti Lauteni Abbatis, magnæ abstinentiæ uiri, qui diebus sanctæ quadragesimæ, bis tantum in hebdomada parcissimè comedebat, id quæ ordine triplici, prima quadragesima pulcriculis ordeacis reficiebatur; secunda, pomis utebatur ficcis: tertia verò, oleribus necdum coctis uescebatur .

Pag. 359.

lin. 10. 1051) adde : Lauteni) *Ex calendario RR. PP. Congregationis Cluniacensis, tum eius hodiernum natalem, tum uitæ compendium ex octo ibidem excusis lectionibus, accepimus. Fuit natione Burgundus Eduensis, nobilissimo procreatus sanguine, & dein de mundi pompis relictis factus est monachus in monasterio sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, Balmensis, sub sancto Laurentio Abbate, cui in regimine postmodum successit.*

Pag. 377.

lin. 24. apparuerunt) adde : In Monasterio Antri, Sancti Hermelandi Abbatis, & Confessoris, qui sponfa nobilissima repudiata, ad Christi seruitium auolauit, & miraculis clarus obdormiuit in Domino .

lin. 32. Sancti) adde : Hermelandi) *Cuius depositio ab aliis omnibus notatur die 25. Martii, illaque die eius uita adfertur à Surio Tomo 2. Quare autem reponatur hac die à Renato Benedicto in uitis SS. Gallie, cum in eadem obiisse fateatur prædicta die 25. Martii, adhuc minime cognoui, sic tamen eam inchoat, Vita S. Hermelandi Abbatis & confessoris, Ordinis S. Benedicti, die 25. Nouembris, &c. Est hæc copiosissima, quam accepisse se fatetur ex MSS. libris, & legendariis Ecclesiæ S. Magnobodi Andegauensis, ad quam fortassis (ut ego opinor) translatus S. Hermeladus, hac die in illa Ecclesia, eius memoria celebratur.*

Pag. 381.

lin. 27. occidit) adde: Coenomannis, in cœnobio Gabronico, depositio Sancti Constancii Monachi, miraculorum gloria clarissimi.

Pag. 382.

lin. 35. causam] adde: Constancij,] Cuius natalis notatur hac die à Renato Benedicto in eius vita, quam adfert ex antiquo MS. latino monasterii Gabronici, in uitis SS. Gallie. Fuit genere Arvernus, monachus Silue Gabronicæ in Coenomannis, & discipulus S. Frambaldi Abbatis, floruitque anno 370. & quod excurre:

Pag. 394.

lin. 15. clari) adde. In Britannia minori, depositio Sancti Iudicælis, Regis Britannie, huius nominis secundi, & monachi, miraculis clari.

Pag. 395.

lin. 9. 745) adde: Iudicælis) Notatur huius natalis hac die ab Anno Bouchard, in annalibus Britannicis; & in uita S. Iudoci, eius fratris, quam adfert Renatus Benedictus in uitis SS. Gallie. Reliqua de hoc Rege uideto in quarto libro nostro cap. 6. de Regibus monachis & Sanctis.

pag. 401.

lin. 4. in cryptam) adde: Ciuitate Brixinensi in Germania, depositio Sancti Hartmanni confessoris, eiusdem ciuitatis Episcopi, præclari in miraculis.

lin. 13. hac die) adde: Hartmanni) siue Hermanni, de quo Molanus in addit. ad Usuardum, hac die: cuius uita breuibus adfertur à Viguleo Hund in Metropoli Salisburgensi ad Episcopos Brixinenses: fuit enim eius ciuitatis Episcopus 36. creatus ex Abbate Salisburgensi S. Petri, anno 1142. De eodem, eiusque rebo, & sanctitate, agit Radeuicus de gestis Friderici I. Imp. lib. 1. c. 14. & lib. 2. c. 56. & 71. in quibus exstant due epistole Imperatoris ad eundem. Obiit anno salutis 1165. episcopatus sui 23. & sepultus est Brixina in ecclesia cathedrali.

Pag. 408.

lin. 30. Scotorum) adde: B. Adalbertus Abbas S. Emerani Ratisponæ XXIII. qui obiit anno 1177. regimini sui 27. mense 6. die 5. miraculis clarus ut hoc eius Epitaphium indicat:
Floruit hic signis Abbas Albertus opimis,
Illius precibus Iesu Rex parce redemptis.

Obiit

Obiit anno 1177. *Metropolis Salisburgensis.*

Pag. 409.

lin. 36. cœnobii) *adde*; S. Altho, Scotus, monachus, & primus Abbas cœnobii quod ab eius nomine Altomunster uocatur, miraculis clarus. Vixit anno 750. & quod excurrit. *Metropolis Salisburgensis.*

Pag. 410.

lin. 38. Letinenses] *adde*. B. Arcandus, Gallus, primus Abbas monasterii SS. Ferreoli & Ferrucii, extra ciuitatem Bisuntinensem, quod nunc est intra ciuitatem sub nomine S. Vincentii, multis miraculis fertur suo tempore claruisse.

Pag. 417.

lin. 33. Abbatis) *adde*; S. Hildegrinus, siue Hallegrinus, Abbas Eremiti S. Hallegrini, quæ nunc monasterium SS. Petri & Pauli Balmenfe appellatur, in comitatu Burgundiæ, uir admirandæ & incomparabilis sanctitatis.

Pag. 423.

lin. 19. c. 50.) *adde*; B. Reginaldus, monachus & Abbas monasterii Balmenfis in Burgundia, sanctitate & miraculis in uita & morte clarus.

P R Æ T E R M I S S A

Libri Quarti.

Pag. 445.

lin. ultima. Papæ) *adde*: Gunildis, Henrici III. Imp.

Gunildis, alias Cunildis, Cunegundis, siue Eliphtruda, tot enim eius nomina reperi, Canuti Magni, Daciæ, Suetiæ, Noruegiæ, & Angliæ Regis filia, ac Henrici II. alii III. Nigri Imperatoris uxor prima, de adulterio ab ipso accusata, sed miraculosè erepta, eo relicto ad monasterium confugit, ibique sacro tecta uelamine, ad mortem usque, quæ accidit anno 1038. die 15. Calendas Augusti in Italia, in Dei seruitio, & monastica obseruantia perseuerauit. *Contractus in chro. ad an. 1038. S. Antoninus in sum. hist. parte 2. tit. . . . cap. 4. §. 2. F. Stephanus Lusignanus corona 4. cap. 22. & alij.*

Pag. 450.

lin. 5. 650.) *adde*. In uita S. Iudoci eius filii, quæ est apud Renatum

tum